



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Gvilielmi Becani E Societate Iesv Idyllia Et Elegiae**

**Becanus, Gulielmus**

**Antverpiae, 1655**

Widmung

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12773**

VIRGINI  
MARIÆ,  
DEI MATRI,  
POETARVM PRINCIPI.

**D**ATERE, Magna Mater,  
huius adscriptione titu-  
li non tibi, sed iis,  
quorum te principem  
voco, commendationem acce-  
dere. Carminis studium inter  
maiorum suorum decora Sira-  
cides ponit. Ab illo summis he-  
roibus, sicut ab imperio bene  
gesto, laudem accersit. *Laudemus*, Cap. 44.  
inquit, *viros gloriosos, & parentes*  
A 2                      *nostros,*

nostros, &c. imperantes in presenti  
 populo, &c. in peritiâ suâ requiren-  
 tes modos musicos, & narrantes  
 carmina scripturarum. Benè ha-  
 bet. Consultum est poësius existi-  
 mationi à tantis cultoribus; sed in-  
 de honoratior, quòd inter illos tu  
 censeris. Quis se dignam non pu-  
 tet, quæ te decuit? quis inutilem  
 censeat, quam tu ad vsus maxi-  
 mos, hoc est, ad diuinos in te fa-  
 uores celebrandos adhibuisti? Ali-  
 bi verborum parca, vno in car-  
 mine facunda es. Alibi *sicut vitta*  
*coccinea labia tua*, quia verecundo  
 silentio colligata; hîc *fauus distil-*  
*lans* sunt. Cedit poësi tuæ quid-  
 quid alij panxerunt. Vsque adeò  
 nihil in te mediocre. Supra om-  
 nes

Cant. 4.

## DEDICATIO.

nes à Deo euecta, sublimissimè illum effers, quàm, dum loqueris, modesta, tam, dum canis, grandiloqua. At profanatur à multis ars, quæ religioni tuæ deseruiit. Sic est. Qui diuinos se vates, Deoque plenos dicunt, nihil minus, quàm sunt. Plures periculosè blandi, animos dum mulcent, inficiunt; nusquam magis culti, quàm vbi noxij. Quàm vellem istis nequitiaæ suæ poëtis gratiâ & venustate non cederent ij, quibus tu, quibus filius tuus materies estis. Sed iuuat vel argumento vincere. Non quo paratu celebremini, sed quo animo, spectatis. Non augustis tantùm templis, sed exiguis etiam sacellis coli gaudetis.

A 3

Studium

Studium vobis pro ornatu est, pietas pro elegantia. Elegantiam, quibus est datum, carminibus suis adhibeant; ego in meis pietatem spectavi, de lectoris iudicio securus, si vobis non displicuero.

